



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Quanta felicitas in sedibus Beatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

## SYMBOLVM LXXXII.

Campi Elysii.

6. Æneid.

Ethicè.

Quanta felicitas in sedibus Beatorum.

**E**st nunc animus à Tragicis his spectaculis avocandus, & ad Elysia  
Beatorum viridaria advertendus. De his Poëta loc. cit.

Devenere locos lātos, & amāena vireta  
Fortunatorum nemorum, sedēsque beatas.  
Largior hīc campos æther, & lumine vestit  
Purpureo, Solēmque suum, sua sidera norunt.  
Pars in gramineis exercent membra palæstris,  
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena.  
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt,  
Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos  
Obloquitur numeris septem discrimina vocum;  
Iāque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Ethica.

(a) Usque adeò homines, variarum etiam superstitionum tenebris in-  
voluti, ipso naturæ lumine perspexerunt, esse Dominum aliquem supre-  
num, *Mentemque cælestem*, quæ debitis pœnis in sceleratos animadver-  
tat: probos autem & virtute præstantes præmiis remuneretur. Hinc  
*Tartarus*, dirissimus impiorum carcer: hinc *Campi Elysii*, Beatorum sedes,  
omni voluptatum genere affuentes. Quid, quod subterraneum etiam  
quondam locum lustrandis & expiandis Manibus agnoscebant, in quo  
ubi essent animæ ab omni humana colluvie, & contagione corporis ex-  
purgatae, tunc in Elysios transmittebantur Hortos; si modò fuissent eius  
generis peccata, quæ possent aliqua ratione lustrari & expiari. Idcirco  
Virgilius ex antiquorum sententia. 6. Æneid.

Ergo exercentur pœnis, veterūmque malorum  
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanæ.

R r r

Suspensæ

(a) Sedes Beatorum.

Suspense ad ventos : aliis sub gurgite vasto  
 Infectum eluitur scelus , aut exuritur igni ;  
 Quisque suos patimur Manes . Exinde per amplum  
 Mittimus Elysium.

Facundi sunt Poëtae in describendis illis sive Campis , sive Insulis Fortunatis . Est enim ibi cælum nullo terræ anhelitu grave, crassumque; sed salubre , ac verna quadam temperatione pacatum. Non iners illic ac torpidum gelu , non horridus rigor , non amnes & torrentes frigoribus conglaciantes , nivib[us]que & pruina concrescentes ; non torridi solis æstus, & calores urentes. Absunt tenebre , caligines , nebulæ , nubes , venti, procellæ , turbines , fulmina , imbræ , grandines : Contingua ibi , & pura semper lucis claritas cum cæli facie serenissima , & astrorum electioribus effectis. Viridaria illic perennium rivulorum cursibus , recursibus, ac mæandris , irrigua ; quorum aquulæ vitro pellucidiores ad lapillos molliter allisæ , dulcissimè strepitant : nihil ibi noxium , nihil non ad usum aliquem gignitur : oculos pascit viridianum arborum voluptas : auditum mirabiliter recreant aviculæ dulcissimis cantibus concertantes , lenib[us]que auris perstrictæ arborum comæ placidum murmurantes. Nares odoribus ambrosiis , quos efflant aromata , flores , herbe , perfunduntur : Gustatui sua item è saporibus gratissimis oblectatio carpitur : sensum tactio- nis nulla laedit asperitas : omnia mollia , omnia temperata. Juvat ibi- dem ad suavissimos modulos agitare choros , implere calathos liliis , fra- grantes legere violas , & variis sese floribus coronare. Modò libet in florido gramine , modò sub umbrosa jacere platano , & amicissimos ser- mones conferre. Quid quod etiam felicium illorum nemorum incola iisdem exercentur studiis ( sed longè jueundiore modo ) quibus teneban- tur in vita. Summa inter eos pax & concordia ; ideoque Æneas

Arma procul , currūsque virūm miratur inanes ,  
 Stant terrā defixa hastæ : passimque soluti  
 Per campos pascuntur equi : quæ gratia currūm ,  
 Armorūmque fuit vivis , quæ cura nitentes  
 Pascere equos , eadem sequitur tellure reposos.

Verbo nihil loco , nihil habitatoribus ad omnem amœnitatem & voluptatem deest. Et hæc de sensuum deliciis. De intelligentia quid dicam ? veteres certè Philosophi , teste Cicer. lib. 5. de fini. finge- bant , in Beatorum insulis , maximum oblectamentum ex eo existere , quod omni cura liberati , nullum necessarium vitæ cultum , aut paratum requirentes , nihil

nihil aliud agant, nisi ut omne tempus inquirendo ac discendo, in naturæ investigatione consumant. Atque hic prætereundum non est, quod Poëta Elysii dignam viridariis canit, quintuplicem hominum sortem. Scilicet:

--- qui ob patriam pugnando vulnera passi:  
Quique Sacerdotes casti, dum vita manebat:  
Quique pii vates, & Phœbo digna locuti:  
Inventas aut qui vitam excoluere per artes:  
Quique suū memores alios fecere merendo:  
Omnibus his niveā cinguntur tempora vittā.

Felices igitur tērque, quatérque, qui charitate patriæ, castimoniā  
vitæ, veracitate linguae, industriā ingenii, officiorum promptitudine se-  
des sibi tam amoenas, tam jucundas, beatas, fortunatas comparant & in-  
habitant. Apagite vos Athei, qui cælum & inferos tollitis; qui ne qui-  
dem in fabulis audire sustinetis.

Esse aliquos manes, & subterranea regna,

Et contum, & stygio ranas in gurgite nigras:

Atque unā transire vadum tot millia eymbā. *Iuvenal. Sat. 2.*

Sunt enimvero, sunt improbis supplicia, probis autem constituta  
præmia: alterutrum citius, seriūsve sentiet, quisquis vitam vel ad vir-  
tutis leges exigit, vel pudoris & honestatis repagula refringit. Quod  
Poëta fabularum velo involuerunt, hoc explicat Christiana Religio, Deum  
esse, malorum vindicem, bonorum Remuneratorem, & unumquemque re-  
cepitrum propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. Cor.  
5. Ideoque claudamus cum Poëta nostro:

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

